Piotrowicki Jacobi: Quaestio de optima reipublicae forma ab Aristotele definita.

×

QVÆSTIO

DE

OPTIMA REIP. FORMA

Ab Aristotele definita.

A

M. IACOBO PIOTROWICKI, Contubernij Iagelloniani Seniore, ad disputandum in Alma Academia Crac. 28. Iulij. Hora 9. proposita.

CRACOVIÆ,

In Officina Typogr. Matthiæ Andreouiensis,

Anno Domini 1626.

IN STEMMA.



FAllor an Actiaci est caput hoc sublime, Niconis
An Mario, vitæ quod dedit augurium?
Quicquid id est certè prænobile Stemma putandum.
Quod ducibus Latijs omina fausta dedit.

Martianus
Gutteter
Pławowski.

Illustrißimo ac Magnifico Domino,

D. NICOLAO LIGĘZA DE BOBREK,

Castellano Sendomirieñ. Bieceñ. Ropcicen. Capit. &c. D. & Patrono suo.

STadium Politicum à maioribus mihi aßignatum, præeunte Aristotele in Academia confeci Illustrißime Domine, ac ne inamænus labor videretur, flores in cursu decerptos, & artis venustate concinnatos ad augustißimum familiæ Tuæ templum, virtutum Tuarũ amplitudinem veneraturus apporto. Magno Senatori, summi Philosophi, formam & speciem optimæ ciuitatis, haud dispari industria ex ducentis quinquaginta vt fertur, non ignobilibus polityis, quam Zeuxis Helenam, ex præstantißimis quibusq; formis expreßam. Quid prohibet eam doctrinam publico oblatam certamini, à benigno virtutum Tuarum publicarũ numine patrocinium quærere: Cum in aciem descendentes Imperatores

etiam

etiam Martē suum vt aduigilaret, precibus sciam fatigasse. In hoc itaq; primo ad Te aditu insolenti luce quæ ab honestatis Tuæ Sole proÿcitur percellor: ac nisi vitales isti radÿ à benefico sydere deriuarentur, imbecillitatem confirmarent. Vt autem me colligo non ipsis penetralibus lucem hanc coerceri contueor, quæ à venerando pectoris Tui sacrario effusa vniuersæ Poloniæ angulos illustrat. Suū enim Te Ecclesia propugnatorem, religio defensorem, patria ciuem, regia Senatorem, acies Ducē, Curia iudicē, Cænobia, pauperumq; alia receptacula Patrem ēs se vendicant. Gloriosum fuit Romanis omnium Deorū simulachra vno fano conclusisse: gloriosius multò & penè diuinum vnius animo tot ac tantarum virtutū magnitudinem varietatemq; contineri. Esto innumeris gentis Tuæ imaginib9 atria splendeant, ex quibus non parua in Te redudat gloria, dicam quod sentio plus illis splendoris attulisti quam ab illis accepisti. Imò si non ÿs honesti radicibus, quas orbis noster suspicit, vetustissima gens Tua niteretur: profectò amplissima Tua in patriam merita, eandem confirmassent ac immortalitati consecrassent.

Quis

Quis enim his temporibus impius in patriam nostram armauit hostis manus, cuius ferrum Tua, Tuarumq́ copiarum virtus non retunderet? Ecquod vnquam tam turbulentū aut formidoloſum tēpus extitit, in quo Tua in Principem fides contremiſceret? quæ comitia, qui conuentus ciuium, quo ſententias Tuas grauiſſimas prudentiſſimasq́ conſtans ſapientiæ, grauitatis, magnitudinisq́ animi opinio non eſt ſubſecuta?

Ac nimirum popularem hanc gloriam cum omnes admirentur, fontem ex quo profluat, ignorant multi. Eruditiores diuinam ingenij Tui vim, magnarum variarumq́ artium cognitione completum pectus agnoſcunt: putantq́ hoc eſſe quod animum Tuum in aſperis roborat, in proſperis accendit, & quicquid animo, lingua, manu admirabile eſt, in theatrum laudis producit. Hic verò me in palæſtram Politicam properantem publica magnificentiæ Tuæ trophæa ad ſe rapiunt, cuius afflicta Ruſsia, ex fluctibus Tartarorum in Rzeſouien: arcem opibus Tuis munitiſsimam ac ornatiſsimam tanquam in portum delata ſolidos fructus percipit. Stat ex aduerſo al=

 terum

terum pro fidei Orthodoxæ integritate tuenda, insigni Tua munificentia excitatum propugnaculum, fortissimis veteranis sub signis S. Francisci merentibus, munitum ac firmatum. Laudanda me hercule, & tantò Ægyptiarum Pyramidum molibus anteponenda monumenta, quantò fructuosius est animum aut corpus in libertatem asserere, quam opulentiam barbaricam stultè os tentare. Itaq; si bonus ille Geometres in ignotæ regionis littore radios lineasq; Mathematicorũ conspicatus, magnam spẽ fortunę concepit: an non certissimũ mihi inter has laudum Tuarũ aras ad benè sperandum signum sublatum? Quas ego illustriores pro voto meo exiliter quidẽ, res enim est fortunatioris ingenij, at deuotè veneratus Heros Illustrissime in augustissimo earũ sinu conquiescere efflagito, easdemq; Ecclesiæ, patriæ ac Academiæ nostræ æternũ florere peropto. Ex Contubernio Iagelloniano. 10. Calend: Iulij Anno Domini, 1626.

Illustriss: D.T.

deditissimus

M. Iacobus Piotrowicki.

QVÆSTIO.

V. Ciuitatis cuius principia, causas, & attributa Aristoteles in Politicis inuestigat: species illa quæ vitam honestè & laudabiliter in ordine & ad se & ad alium instituẽdam, ceu finem supremum respicit, sit censenda omnium optima necne?

CONCLVSIO I.

Multitudo vicorum seu pagorum est remota materia ciuitatis.

COROLLARIA.

1. Scientiæ Ciuilis adæquatum obiectum est societas hominum ad rectè viuendum constituta, ciuitas nuncupata.

2. Societas præfata intra se cohibet societates domus & pagi,

& pagi seu vici.

3. Ordine temporis societas domus est prior societate pagi, & hæc Ciuitate.

4. Ciuitatis origo & consummatio, naturæ in acceptis referenda.

5. Rei quærendæ ac retinendæ ratio ad Ciuilem scientiam pertinet.

6. Cognitio disciplinæ priuatæ de moribus ad doctrinam politicam ordinatur.

7. Ciuitas vt societatibus minoribus, ita doctrina de moribꝰ, ac vita Oeconomica est perfectione prior.

CONCLVSIO II.

Ex Ciuibus qui iudicij, Cõsilij ac Magistratus facultate definiuntur, proximè & immediatè Ciuitas componitur.

COROLLARIA.

1. Pro Politiarum differentia, alij magis minus alij trium harum conditionum ciuis participes sunt, ac proinde analogicè ciues.

2. Communio ciuitatis, fori ac iudiciorum simpliciter ciuem, non constituit: prout ex vtroq; parente ciue nasci accidentale est.

3. Senes, Pueri, exules, aut aliqua ignominia notati non

ti non verè appellantur ciues: Opifices verò non nisi in Democratia & Oligarchia.

4. Vniuscuiusq; ciuis eadem est quæ totius ciuitatis fælicitas.

5. Vir bonus à ciue bono simpliciter distinguitur: nisi quod vbi virtuti defertur principatus, eadem est boni ciuis & boni viri virtus.

6. Mutante Repub. in numerum ciuium cooptati, ciues sunt.

7. Ciuis boni præstantia in facultate imperandi & parendi cernitur.

CONCLVSIO III.

Summæ ciuitatis partes circa quas versatur sunt consultationes, magistratus & iudicia.

COROLLARIA.

1. Summa rerum deliberandarum capita sunt bellum & pax, societates & fædera, leges, ius vitæ & necis, animaduersio, ratio repetundarũ: quæ vel omnia omnibus, vel omnia quibusdam, vel quædam omnibus aut quibusdam permittuntur.

2. Legum autoritas sine quibus nulla est Polytia, non aspernatur magistratus consortium: in quibus condẽdis & locus & vicini spectandi, neq; vnius tan-

tum ordinis sed communis vtilitatis habenda ratio.

3. Vt in supplendis legum defectibus plurium requiritur prudentia: ita in ijsdem abrogandis (quod nō temerè faciendum est) diligenter circumspiciendū an omnes, & in omni Repub: mutādæ, & an à quolibet, an à quibusdam, tum à quibus.

4. Magistratus est qui ius consultandi, iudicandi, & maxime imperandi habet: cuius distribuendi vera mēsura non est libertas, non diuitiæ, sed virtus.

5. In conferendis Magistratibus, amor, scientia, ac virtus Reip. accomodata spectanda: alicuius tamē horum trium defectu illud quod in plerisq; sit rarius, non quod frequentius præ ponderabit.

6. Magistratuum magna est in ciuitatibus varietas: Plures tamen ad vnum in magnis ciuitatibus deferre (cum minorum vtilitas aliud efflagitet) non est tutum, perpetuos verò velle habere, periculosum.

7. Iudicum amplissimus est in ciuitate campus, qui pro Rerump. ingenio vel ex omnibus, vel ex quibusdā, vel ex vtrisq; idq; aut sorte aut suffragio eligūtur.

CONCLVSIO IV.

Formæ Rerump. Rectæ sunt tres Regnnm, Aristocratia, & Polytia: totidem vitiosæ, illisque oppositæ, Tyrannis, Oligarchia & Democratia.

CO-

1. *Respub. est ordo ciuitatis & descriptio omnium magistratuum, præcipue tamen eius cuius authoritate Resp. geritur.*

2. *Subditorum commodis velificari, euidens est bonæ Polytiæ signum: vt contra fortunas proprias augere, vitiosæ.*

3. *Varia hominum pro diuersitate locorum ac regionum ingenia, vnam eandemq; imperij formam non patiuntur.*

4. *Regnum est vnius principatus ob præstantiam vel generis, vel virtutis, vel summa in Remp. merita vltro alicui delatus. Tyrannus vnus paribus & melioribus ijsq; inuitis sui commodi causa imperat, nulloq; referendarum rationum iuditio tenetur.*

5. *Aristocratia est paucorum virtute excellentium imperium: Oligarchia paucorum diuitum. Quæ si vltra virtutem aut diuitias spectant aliquid aliud, mixtas formas constituunt.*

6. *Democratia est pauperum libertatem spectantium dominatus. Polytia verò est quædã Oligarchiæ & Democratiæ permixtio.*

7. *Vt inter rectas Respub. ea cui virtus est propoposita dicitur optima: ita inter vitiosas omniũ deterrima tyrãnis, minimè mala Democratia, Oligarchia media.*

CONCLVSIO V.

Respub. vel ab externis, vel ab internis causis mutatur & intereunt: sed quibus causis mutantur, contrarijs solent conseruari.

COROLLARIA.

1. Mutari aio Rēpub. vel cum ciuitatis status simpliciter, vel intensior in remissiorem, & contra, mutatur: vel si magistratus immutantur, & nouis institutis veteres abrogantur.

2. Respub. in contrarias formas mutari non est perpetuum, cum etiam in sui generis, intensiores scilicet in remissiores conuersas legamus.

3. Non numerus Platonicus sed iniqua de æqualitate Geometrica, cuius in Rep: summa ratio est habenda, persuasio dum id quod æquale est secundum quid, simpliciter æquale existimatur, fons est omniū Reip: mutationum.

4. Contumelia, lucrum, honor, vnius ciuis aut ordinis excellentia, metus, vilitas imperantium, negligentia, minimarum transgressionum impunitas, magistratuum conniuentia, dissimilitudo tum loci, tum nationis Ciuitates præcipuè euertunt.

5. Oligarchia specialiter mutatur vel propter paucorum principum iniuriam in plebem: vel ipsorum

rum principum inter se dissensionem. Aristocratia autē paucitate magistratus gerentium, inopia, vnius excellentia, & mala iuris seu æqualitatis permixtione: quod ipsum etiam Polytiam pessundat.

6. Monarchiæ commouentur iniuria seu contumelia, metu, contemptu, auaritia principum, & gloriæ ex cæde principum cupiditate.

7. Conseruant ciuitates, minimarum legum obseruantia, facilitas imperantium, metus ingruentium periculorum & solicitudo, dissidentium ciuium coercitio, Magistratuum lenta & inter multos distributio, eorumq; abstinentia, morum censura, singulorum ciuium & ordinum symetria, mutuaq; imperantium & parentium beneuolentia & amor.

CONCLVSIO VI.

Species illa ciuitatis quæ vitam honestè & laudabiliter in ordine & ad se & ad aliū instituendam ceu finem supremum respicit omnium optima est censenda.

COROLLARIA.

1. Fælicitas ciuitatis, ex fælicitate ciuium pendens ex duplicium virtutum actione consurgit.

2. Respub: ad belli studia solùm ordinatæ, vitiosæ habendæ.

3. Ad

3. *Ad componendam optimam ciuitatem soli ciues optimi & secundũ virtutem operantes apti sunt, quod assequuntur naturâ, consuetudine & ratione.*

4. *Institutio ciuiũ optimæ ciuitatis formæ accomodata à corpore sumat exordium, hinc ab appetitu ad rationem excolendam fiat progressio.*

5. *Pars animæ inferior tum pacis, tum belli virtutibus imbuenda, superior autem variarum scientiarum cognitione.*

6. *Salua ætatis prærogatiua ciues vicissim imperare & parere debent in beata ciuitate.*

7. *Ciuitatis magnitudo non multitudine accolarum, sed rerum necessariarum copia & notitia ciuium inter se definienda: vrbesq; eius ad mare vel flumen expositæ, bello & paci accomodatæ, muris denique turribus & propugnaculis distinctis sint munitæ.*

Excellentiſſimo ac Doctiſſimo Viro,

D. IACOBO PIOTROWICKI,

Artium & Philoſophiæ Doctori ad S. Spiritus Præpoſito Biecenſi, Seniori Contubernij Iagielloniani in certamen Philoſophicum prodeunti.

M. GREGORIVS GOLINSKI, amoris ergo Pæana Embaterium occinit.

PAnde Mineruæos benè conſcia ſigna per agros
Conflictusque nouos genio propone Sophorum.
Docte PIOTROWICKI Muſarum magna voluptas
Auſpicijs procede bonis procede ſecundis
Ominibus, celſos auſus decorande trophæo
Ne dubita veniet laudatis prodroma cæptis
Auxilio, Pallas, cerebro prognata Tonantis
Ægide non fruſtra priſci finxere Pòëtæ
Munitam, croceas præcingere Caſside criſtas
Et totum circum chalybæo ſyrmate corpus
Vallatum: quoniam aduerſis ſuccumbere telis.
Ignorat ne Brontæo ſuperanda tumultu
Enceladus vel quem telorum grandinat imbre,
Non equidem primùm veſtigia credere campo
Incipis, aut primo diſtringere ſpicula neruo
Aſpiras, toties Clarius cui plauſit Apollo

Cer-

Certanti, & viridi præcinxit tempora lauro.
Nunc quoque laurigeras fas eſt ſperare coronas,
Palladios cum ſic pergas animoſus in agros
Marmaricos etiam potis expectare Leones
Fultus Ariſtotelis generoſum tegmine pectus.



Permiſſu Admodum R̃di & Magnifici Domini, D. IACOBI NAYMANOWIC I. V. D. & Profeſſoris, Canonici Crac. Archidiaconi Pilecen. Vniuerſitatis Crac: Generalis Rectoris.